



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio secunda. vtrum in voluntate Christi fuerint actus effcaces, &
inefficaces.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Marc. 14.
Ioan. 18.

Smegite, eamus hinc, ecce, qui me tradet, prope est. Marc. 14. & illa Ioan. 18. Iesus itaq. sciens omnia, quae ventura erant super se, processit & dixit ei, Quem quæritis? &c. De ira etiam, quatenus esse potest iusta voluntas vindicandi aliquod malum, satis ex dictis suprà, q. 15. constat in Christi voluntate fuisse, & per se etiam evidens est, in supremo iudice esse valde necessariam. Similiter etiam manifestum est, gaudium seu fruitionem perfectissimam in Christi voluntate semper fuisse; solū ergo tristitia & timore non nihil dubitationis superest, quam post sectionem sequentem commodè explicabimus.

Scot.

Sexto & ultimo dividi potest actus voluntatis in efficacem & inefficacem, quos alij absolutum & conditionatum vocant: quia actus efficax absolutus est in ordine ad executionem, est enim talis actus principium operandi, & solet explicari hac voce, volo; actus verò inefficax solum est complacentia quædā seu displicentia, ut bene explicuit Scotus in 2. d. 6. q. 1. & explicatur hac voce, vellem. Et dicitur actus conditionatus, nō quia, ut est in voluntate, conditione includat, id enim intelligi non potest, cum sit simplex quædam affectio, re ipsa adherens voluntati simpliciter & absolute: sed quia ex parte obiecti conditionem quādam includit, ut impliciter, quatenus fertur in obiectum sub vna precisa ratione considerationis, ac si esset separata ab illis conditionibus, quæ illius executionem impediunt: vel etiam interdum explicite per intellectum considerata & apposita conditione ipsi obiecto, ut in 1. 2. latius explicatur. De hoc ergo duplici genere voluntatis, quomodo fuerit in voluntate Christi, sequenti sectione explicandum est.

SECTIO II.

Virum in voluntate Christi fuerint actus efficaces, & inefficaces.

Mat. 26.

De actibus efficacibus voluntatis Christi, quod in illo fuerint perfectissimi, nulla est difficultas, aut dubitandi ratio: constat enim, per hos actus operatum esse omnia virtutis opera, & diuinæ voluntati ac iussioni obsecutum esse: ac denique mortem ipsam suscepisse: Oblatus enim est, quia ipse voluit, in qua voluntate, ut Paulus ait, sanctificari sumus, per illam enim nostram redemptionem perfecit. Quod verò etiam interdum actus aliquos inefficaces habuerit, satis probant verba illa Matt. 26. Pater si possibile est, transeat à me calix iste, quibus suum affectum indicat: illum autem non fuisse efficacem & absolutum ostendunt verba sequentia, Non sicut ego volo, sed sicut tu, eum autem affectum non solum in appetita sensitivo, sed etiam in voluntate fuisse constat ex VI.

VI. Synod.

Synod. act. 4. & 11. ubi ex hoc loco probatur humana Christi voluntas, quod etiam probant multa testimonia Sanctorum, quæ ibi adducit Agatho in epistola, quæ habetur act. 4. & alia afferuntur act. 10. & nonnulla alia statim referam. Hoc etiam confirmat illa verba Marci 7. Neminem voluit scire, & non potuit latere. Quo loco videtur etiam Agatho suprà, intelligendusque est necessariò de voluntate aliquo modo inefficaci, ut in sectione ultima huius disputationis latius dicam.

D. Thom.

Ut verò rationem explicemus, propter quam Christus hos actus elicit vel assumpsit: quari hoc loco potest, an hi actus fuerint in voluntate Christi, ut natura est, an verò ut est ratio superior, vel inferior, quarum vocum significationem, satis D. Tho. hoc loco indicavit, & latius tradidit 1. p. q. 41. art. 2. 79. art. 9. 1. 2. q. 10. ar. 1. q. 7. 4. ar. 7. & ex dicendis etiam constabit.

Primo igitur certum est, interdum fuisse hos actus in voluntate Christi, ut natura est: quod aliqui ita explicant, ut dicant, hos actus non fuisse verè elicitos,

sed tantum esse ipsum naturale pondus voluntatis ad bonum suæ naturæ. Quæ sententia solet tribui Scoti in 3. d. 15. & 17. Sed falsò illi imponitur, oppositum enim docet, sicut & ceteri Theologi, & ex loco Evangelij apertè colligitur, hanc voluntatem fuisse actum elicitum in Christo: quia non dicitur aliquis velle, nisi id, quod per actum elicitum aliquo modo vult, & in nobis constat, huiusmodi actus inefficaces esse elicitos, sunt enim vitales actus. Alij existimant, hos actus tunc esse elicitos à voluntate ut natura, quando sunt omnino necessarij: quod videtur sentire Marsili in 3. q. 1. art. 3. in 1. parte illius. Sed licet fortasse in nobis sæpe accidat, ut similes actus ex necessitate fiant, non est tamen simpliciter hoc necessarium, ut dicantur procedere à voluntate ut natura. Neq. in Christo Domino habere potuit locum talis necessitas: in nobis enim provenit ex motione appetitus sensitivi præuenientis considerationem rationis, & secum trahentis voluntatem, antequam libertate sua uti possit: unde si alias voluntas & ratio tam perfecte sint dispositæ ad operandum, ut semper perfecte aduertentia rationis antecedit motionem appetitus, non est unde oriri possit talis necessitas, quando obiectum ipsum necessariò non rapit voluntatem, ut est in amore & visione beata. Cum ergo in Christo Domino nunquam appetitus rationem perturbare aut præuenire potuerit, ut suprà q. 15. probatum est, non est unde pati possit necessitas quoad exercitium in exercendis his actibus. Dicuntur ergo tunc elicit à voluntate ut natura, quando procedunt ex sola inclinatione naturali, quam voluntas habet à commodum suum vel naturæ suæ, & tunc habere possunt, saltem per se loquendo, necessitatem quandam quoad specificationem, quia cum natura propensa sit ad suum commodum, si actus procedunt ab hac naturali inclinatione, necesse est, ut sint illi conformes: quia ergo Christus habuit veram humanam naturam, ad illius veritatem ostendendam permixit interdum voluntati suæ operari ex inclinatione naturæ, quæ recta est & honesta, & idè assumpsit hos actus procedentes ab ipsa voluntate, ut natura est: quæ doctrina sumitur ex D. Tho. & Caietan. hic & suprà q. 14. art. 2. Addi verò potest, in ipsa voluntate ut natura distinguui posse superiorem, & inferiorem partem, quia in eadem voluntate intelligi potest naturalis inclinatio ad vltimum finem suum, & ad alia propriè ipsam, quæ est suprema inclinatio voluntatis. Potest etiam intelligi naturalis propensio ad corpus, & ad prosequenda ea, quæ sunt comoda parti sentienti, & sub vtraque ratione verum esse potest, elicitum voluntatem Christi, ut naturam, huiusmodi actus, maxime tamen sub posteriori ratione, ut ex dictis patet.

Dico secundò, etiam potuisse voluntatem Christi, ut rationem superiorem, & inferiorem, elicere hos actus. Ita sentit D. Tho. in 3. d. 17. q. 1. art. 2. & ibi Gabr. Marsil. dicta q. 11. & colligitur etiam ex Diuo Thom. infrà q. 21. art. 2. ubi dicit rationem fuisse in oratione Christi sensualitatis aduocatam, & ex Scoti d. 15. & ex Caiet. suprà q. 13. ar. 4. ad 1. & in primis ijdem actus, qui sunt à voluntate ut natura, quatenus aliquo modo liberi sunt, possunt dici esse à voluntate ut ratione. Deinde interdum potuit habere Christus hos actus circa obiecta, quæ non pertinebant ad proprium commodum, sed ad amorem amicitia, vel ad alias superiores & honestas rationes. Sic enim potuit desiderare omnium salutem ex charitate, quamvis seiret non omnes fore saluandos, sic Orig. etiam Matth. 9. voluit latere, non quidem ex impetu naturæ, sed ex humilitate, ut nobis esset exemplum. Et eodem modo voluit per hunc affectum, signum suæ vehementis tristitiæ exhibere, tum ad gravitatem nostrorum peccatorum ex acerbitate suæ tristitiæ declarandum, tum ad consolationem nostram, ut

vt cum similes affectus patimur in difficultatibus superandis, vel doloribus perferendis, non despondamus animum, sed per deliberatam voluntatem hunc affectum superemus. Similiter etiam Hilar. & Hieronym. exponunt appetiuisse Christum fugam mortis, non solum ex natura inclinatione, sed etiam propter vitandam ruina Iudaeorum, quae fuit etiam expositio Origenis tractat. 35. in Matth. & lib. 2. contra Celsum: quae si non excludat affectum naturalem supra explicatum, sed praeter illum hunc alium adiungat, neque impossibilis est, neque vllum habet inconueniens. Ratio vero est, quia hi affectus sunt honesti: & non repugnant alicui perfectioni Christo Domino debita.

Obiectio. Scio, nonnullos autores non admittere hos affectus imperfectos, nisi in voluntate, vt natura est, quo modo videntur loqui Capreol. & Mai. & Durand. in 3. d. 17. quibus fauere videtur D. Thom. in his articulis, & infra, q. 21. art. 4. & ratio esse potest, quia proprie non dicitur operari voluntas, vt ratio, nisi quando ex efficaci intentione finis de medijs deliberat: & quando hoc modo non operatur, semper actus procedit ex naturali pondere, vel ipsius voluntatis, vel alicuius virtutis in ea existentis, vt charitatis, vel alterius similis. Et ad hunc modum operatur semper illos affectus imperfectos. Sed haec differentia, vt existimo, tantum est in modo loquendi, nos enim dicimus, voluntatem operari magis vt rationem, quam vt naturam, quando non operatur ex appetitu proprio communi ipsius naturae: praeterim, quia interdum etiam ex intentione alicuius finis potest quis habere actum inefficacem desiderandi medium secundum se utile, etiam si hic & nunc non apprehendatur vt possibile, vel eligendum, qui actus potuit esse in Christo, vt ex dictis patet. Nec D. Thom. repugnat; loquitur enim praecipue de actu efficaci, & de electione, quae fit secundum rationem, vt patet ex articulo 5.

Scio etiam Caietanum, infra, q. 46. art. 7. specialiter negare hos affectus in voluntate Christi, vt est ratio superior. Sed non video propriam aut singularem rationem, nisi fortasse diuerso modo nominibus utamur. Fortasse enim ipse non vocat rationem superiorem, nisi quando operatur per rationes superiores, & versatur circa res aeternas, & Deum ipsum circa quem non videtur Christus habere hos affectus imperfectos, sed tantum perfectos. Ego vero existimo rationem superiorem recte vocari, quotiescunque per rationes & regulas aeternas ad operandum mouetur, etiam si materia, circa quam operatur, res suprema non sit, quia formalis ratio potentiae magis ex obiecto motiuo, quam ex materia, circa quam versatur, fumenda est. Praeterim, quia salus proximorum & gloria Dei res superiores sunt, & suo modo aeternae, circa quas versari poterat dicti affectus, vt explicatum est: Vnde Medina hic art. 5. etiam in alijs beatis admittit huiusmodi affectus inefficaces, ortos non ex solo impetu naturae, seu ex incommodo illius, sed ex alijs rationibus superioribus: Christum enim, quia erat in statu passibili, potuit vtraque ratio huiusmodi affectus seu affectus elicere, beati autem qui omnino sunt extra viam, & nullum pati possunt naturae incommodum, non habent huiusmodi affectus procedentes illo modo ab impetu naturae, possunt tamen habere alijs rationibus, vt dictum est: quam Caiet. supra dicto loco vtrumque negat, cui videtur fauere D. Thom. hic art. 5. ad 3. & 1. 2. quae 19. art. 10. ad 1. Sed in priori loco exponendus est: iuxta dicta de actibus procedentibus ex aliquo incommodo naturae, seu carnis passibilis, de qua expressè D. Thom. loquitur: in loco autem posteriori loquitur de actu absoluto, & non tantum de inefficaci. Vnde addo etiam in beatis, qui sunt omnino extra viam, posse interdum esse hos affectus inefficaces procedentes à voluntate, vt natura est, non quia habeant ali-

quem dolorem, vel quia timeant aliquod incommodum naturae, sicut accidebat in Christo, sed ex alijs causis: vt, verbi gratia, anima beata appetit corpus suum, & resurrectionem, ac gloriam eius, vt constat Apocal. 6. illud autem desiderium est per voluntatem inefficacem procedentem ab appetitu naturae, quae aliquo modo imperfecta est, donec corpore & animo sit beata.

SECTIO III.

Virum in voluntate humana Christi fuerint affectus timoris, & tristitiae.

Oportet distinguere in ipsamet voluntate rationali Christi superiorem & inferiorem portionem, seu rationem, quoniam in singulis propria & singularis est difficultas.

Primo igitur certum est, actum timoris habuisse locum in suprema portione voluntatis Christi, nam ad illam pertinet filialis timor Dei, quem in Christo fuisse constat ex illo Mai. 11. *Repleuit eum spiritus timoris Domini*: & supra, q. 7. late hoc declarauimus, agentes de dono timoris.

Secundo certum etiam est, in inferiori parte eiusdem voluntatis habuisse locum verum timorem, vt constat ex illo Marc. 14. *Capit pauere, & sedere*: Hunc enim locum non solum de sensibili timore, sed etiam de naturali timore voluntatis Christi intelligit Damascen. lib. 3. de Fide, c. 18. & 23. vbi refert Athan. qui hoc habet libro de Incarnatio. post medium exponens etiam verba illa Ioann. 12. *Anima mea turbata est*, de rationali parte animae Christi: Cyrill. etiam li. 4. in Ioan. c. 1. idem docet, & li. 10. Thesau. c. 3. addit orationem Christi Domini in horto, ex timore mortis esse profectam, & inde colligit fuisse in Christo voluntatem humanam sentire ergo, hunc timorem ad illam voluntatem pertinuisse. Ratio vero facile colligi potest ex dictis supra, q. 15. de simili passione appetitus sensitui: nam idem obiectum, quod potest excitare timorem in appetitu sensitiuo, potest etiam excitare in voluntate: imò in his affectibus, qui naturales sunt, & innoxij, sicut voluntas ex natura sua comitatur appetitum, ita in Christo permixta est naturali modo operari, nulla est enim ratio, cur fuerit impedita, neque cur potius hic affectus admissus fuerit in appetitu sensitiuo, quam in voluntate, cum in vtraque potentia esse potuerit, & deseruire ad veritatem naturae ostendendam, & alioqui naturale sit, vt haec duae facultates se inuicem inueniant, seu comitentur.

Dico tertio, in Christi Domini voluntate secundum portionem inferiorem fuisse verum actum tristitiae. Est communis sententia & certa, colligitur ex D. Tho. hic. clarius supra q. 15. ar. 6. ad 4. tenet Alenf. 3. part. q. 17. memb. 2. ar. 5. §. 2. & 3. Henric. quod lib. 8. q. 7. Durand. d. 15. q. 2. Bonau. d. 16. q. 1. Et probatur ex verbis Matth. 16. *Tristis est anima mea*, quae intelligit de tristitia voluntatis Agath. Pap. in epist. quae refert VI. Synod. act. 4. & Sophro. in epist. quae habetur eadem Synod. act. 11. habetur etiam in edicto Constantinensi approbato à Leone Pap. II. vt refertur in eadem Synod. act. 18. vbi in hanc sententiam referuntur Gregor. Nyl. lib. contra Apollinar. Athanasius & Cyrill. locis paulo antea citatis, & Epipha. qui hoc sentit haesi. 66. dicit enim non potuisse Christum esse capacem huius tristitiae, nisi haberet animam rationalem: quod videtur exposuisse Hieronym. Matth. 26. his verbis: *Qui irrationalem animam sumpsisse Christum suspicantur, dicant, quo modo contristatur & perfecte nouerit causas tristitiae*. Eandem sententiam habet Damascen. lib. 3. de Fide, cap. 26. Ratio vero eadem est, quae in assertionem praecedenti tacta fuit, quia hic affectus etiam est naturalis, & innoxius, & habuit in Christo sufficientes causas ex parte obiecti, & apprehensionis eius, & ex natura rei connexionis.